

Deorum introduxerunt, è quorum censu est primò Valentinus Philosophus, qui, cum Trinitatem in Ecclesia credi, & nos in nomine Patris, Filii & Spirit⁹ S. baptizari videret, singulis operibus Dei peculiare Deos attribuebat, ita colligens: Si tot sunt personæ Trinitatis propter baptismum, quidni etiam erunt tot Dii, quot sunt opera & beneficia Dei? Sub idem ferè tempus exortus est error Marcionis, fingentis alium Deum V. alium N. T. Deum V. T. dicebat esse iracundum, severum, punientem scelera, pluentem sulphur & ignem: N. T. Deum dicebat esse beneficum, longanimum, misericordem. Totidem etiam Deos æternos sibi que invicem contrarios finxit Manes (undè Manichæi sectatores eius nomen sortiti) unum bonum, à quo omne bonum proficisceretur; alterum malum, à quo esset, quicquid quocunq; modo mali rationem haberet. hunc appellavit tenebras, illum verò lucem. Hosce tandem secuti sunt Tritheitæ, qui docebant, non tantum tres distinctas esse Deitatis personas, sed etiam tres Deos inæquales, Patrem nempe solum à seipso esse Deum, Filium verò & Spiritum S. à Patre habere, quòd sint Dii, & idcirco quodammodo minus primarios esse Deos. De hisce prolixiorem vid. B. Gerhardum, Exeg. Loc. 2. c. 6. §. 97.

XVI. Quanquam autem ii, qui Christianæ religioni se addictos verè profitentur, doctrinam de Unitate essentia divinae piè credunt, tamen inter eos quosdam reperire dicet, qui hoc non ex lumine naturæ, sed ex sola Dei supernaturali revelatione cognosci posse existimant. Quæ quidem sententia adscribitur Occamo, & Gabrieli à Valentia Tom. 1. disput. 1. quæst. 2. p. 2. Quibus tamen semper reclamatum est à Viris doctissimis, & in saniorum Gentiliū scriptis versatissimis, qui unitatem Dei non ex sola revelatione hauriri, sed & intellectum humanum naturalibus

E

suis